LITURGIA HORARUM

TEXTUS INSERENDI

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

LITURGIA HORARUM

TEXTUS INSERENDI

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

Ea quæ in hac Appendice continentur
concordant cum originalibus

Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum,
die 31 ianuarii 2005.

00120 Città del Vaticano
Tel. 06.698.85003 - Fax 06.698.84716

ISBN 88-209-7699-4

www.libreriaeditricevaticana.com

Die 3 ianuarii

SANCTISSIMI NOMINIS IESU

Omnia de die, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Bernardíni Senénsis presbyteri

(Sermo 49, cap. 1: Opera Omnia, IV, 495ss.)

Magnum fidei fundamentum Nomen Iesu

Hoc quidem est illud sanctíssimum Nomen quod tantum fuit ab antíquis pátribus desiderátum, tantis anxietátibus exspectátum, tantis languóribus prolongátum, tantis suspíriis invocátum, tantis lácrimis postulátum, sed témpore grátiae misericórditer est donátum. Abscónde, quaeso, nomen poténtiae, non audiátur nomen vindíctae, teneátur nomen iustítiae. Da nobis nomen misericórdiae, sonet nomen Iesu in áuribus meis, quia tunc vere vox tua dulcis et fácies tua décora.

Magnum ígitur fídei fundaméntum nomen Iesu effíciens fílios Dei. Fides enim cathólicae religiónis consístit in notítia Iesu Christi et lúmine, qui est lumen ánimae, óstium vitae, fundaméntum salútis aetérnae. Hanc si quis non habúerit aut relíquit, véluti sine lúmine per ténebras noctis vadit et clausis óculis per discrímina praecipitánter incédit, et quantacúmque ratiónis eminéntia fúlgeat, ducem séquitur caecum, dum ad intelligénda secréta caeléstia próprium séquitur intelléctum, aut, fundaménto neglécto, construére nítitur domum, aut, óstium praetermísso, vult intráre per

tectum. Fundaméntum ígitur istud Iesus est, lumen et óstium, qui se viam monstratúrus errántibus, fídei lumen exhíbuit ómnibus, per quam posset Deus ignótus requíri, quaesítus credi, créditus inveníri. Fundaméntum hoc susténtat Ecclésiam in Iesu nómine fabricátam. Nomen Iesu est splendor praedicántium, eo quod luminóse splendére, annuntiáre et audíre fáciat verbum suum. Et unde putas in toto orbe tanta et tam súbita atque fervens fídei lux, nisi de praedicáto Iesu? Nonne et huius nóminis luce ac sapóre Deus nos vocávit in admirábile lumen suum? Quibus illuminátis et in lúmine isto vidéntibus lumen mérito Apóstolus dicat: « Erátis aliquándo ténebrae, nunc autem lux in Dómino: ut fílii lucis ambuláte ».

O ígitur nomen gloriósum, o nomen gratiósum, o nomen amorósum et virtuósum! Per te crímina relaxántur, per te adversárii superántur, per te infírmi liberántur, per te patiéntes in adversitátibus roborántur et iucundántur! Tu credéntium honor, tu praedicántium doctor, tu operántium roborátor, tu deficiéntium sustentátor. Igneo fervóre et calóre tuo desidéria inardéscunt, postuláta suffrágia impetrántur, inebriántur ánimae contemplántes atque per te glorificántur omnes in caelésti glória triumphántes. Cum quibus, dulcíssime Iesu, per hoc sanctíssimum nomen tuum conregnáre nos fácias.

Responsorium Cf. Ps 5, 12; 88, 16b-17a

℟. Omnes qui sperant in te, Dómine, laténtur, in aetérnum exsúltent. Obumbrábis eis, et gloriabúntur in te, * Qui díligunt nomen tuum.

℣. Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die. * Qui díligunt.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Dedit se, ut liberáret pópulum et acquíreret sibi nomen aetérnum.

Oratio

Deus, qui salútem humáni géneris in Verbi tui incarnatióne fundásti, da pópulis tuis misericórdiam quam depóscunt, ut sciant omnes non esse, quam Unigéniti tui, nomen áliud invocándum. Qui tecum.

Ad Vesperas

Ad Magnificat, ant. Vocábis nomen eius Iesum; ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Eodem die 8 februarii

S. IOSEPHINAE BAKHITA, VIRGINIS

Nata est in regione *Darfur* Sudaniæ prope vicum *Jebel Agilere* circa annum 1868. Adhuc puellula rapta et pluries in mercatibus servorum vendita, crudelem servitutem passa est. Demum liberata, Venetiis (*Venezia*) christiana et religiosa apud Filias Caritatis Canossianas facta est ac reliquam vitam in urbe *Schio* in agro Vicentino Italiæ omnibus suppeditans degit, ubi mortem obiit anno 1947.

De Communi virginum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Augustíni episcopi

(*Sermo* 53, 1-6: *Revue bénédictine* 104, 1994, 21-24)

Beati mundicordes, quoniam ipsi Deum videbunt

Non recusétur certámen, si dilígitur praémium, et accendátur ánimus ad alacritátem óperis commendatióne mercédis. Quod vólumus, quod desiderámus, quod pétimus, post erit; quod autem iubémur ut faciámus propter illud quod post erit, modo sit.

Ecce íncipe divína dicta recólere et ipsa evangélica praecépta vel múnera. «Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum caelórum». Póstea erit tuum regnum caelórum; modo esto pauper spíritu. Vis ut póstea regnum caelórum tuum sit? Vide modo tu ipse cuius sis. Esto pauper spíritu. Quaeris a me fortásse quid sit esse páuperem spíritu. Omnis inflátus non est pauper spíritu; ergo húmilis pauper est spíritu. Altum est regnum caelórum; sed, qui se humíliat, exaltábitur.

Atténde quod séquitur: « Beáti, ínquit, mites, quóniam ipsi haereditáte possidébunt terram ». Iam vis possidére terram? Vide ne possideáris a terra. Possidébis mitis, possidebéris immítis. Nec cum audis praémium propósitum, ut possídeas terram, exténdas avarítiae sinum, qua vis possidére modo terram, exclúso etiam utcúmque vicíno tuo: non te ista fallat opínio. Tunc vere possidébis terram, quando inhaéseris ei qui fecit caelum et terram. Hoc enim est esse mitem, non resístere Deo tuo: ut in eo quod bene facis, ipse tibi pláceat, non tu tibi; in eo autem quod mala iuste páteris, ipse tibi non displíceat, sed tu tibi. Neque enim parum est quia placébis ei, dísplicens tibi; displicébis enim ei, placens tibi.

Accédat et opus et munus: « Beáti qui esúriunt et sítiunt iustítiam, quóniam ipsi saturabúntur ». Saturári vis. Unde? Si caro saturitátem concupíscit, digésta saturitáte famem íterum patíeris. Et, qui bibit, inquit, ex hac aqua, sítiet íterum. Medicaméntum quod ad vulnus pónitur, si sanáverit, iam non dolet; quod autem pónitur contra famem, hoc est esca, ita pónitur, ut ad módicum rélevet. Transácta saturitáte, redit fames. Accédit quidem quotídie remédium saturitátis, sed non est sanátum vulnus infirmitátis. Esuriámus ergo sitiamúsque iustítiam, ut ipsa iustítia saturémur, quam nunc esurímus et sitímus. Inde enim saturábimur, quod esurímus et sitímus. Intérior ergo noster esúriat et sítiat: habet enim cibum suum, habet potum suum. Ego sum, inquit, panis qui de caelo descéndi. Habes panem esuriéntis; desídera et potum sitiéntis, quóniam apud te est fons vitae.

Atténde quod séquitur: « Beáti mundicórdes », hoc est qui mundi corde sunt, « quóniam ipsi Deum vidébunt ». Hic est finis amóris nostri; finis quo perficiámur, non quo consumámur. Finítur cibus, finítur

vestis: cibus, quia consúmitur edéndo; vestis, quia perfícitur texéndo. Et illud finítur, et illud; sed finis iste pértinet ad consumptiónem, ille ad perfectiónem. Quidquid ágimus, sed quidquid bene ágimus, quidquid nítimur, quidquid laudabíliter aestuámus, quidquid inculpabíliter desiderámus, ad Dei visiónem cum vénerit, plus non requirémus. Quid enim quaerat, cui adest Deus? aut quid sufficiat ei, cui non súfficit Deus? Vidére Deum vólumus, vidére Deum quaérimus, vidére Deum inardéscimus. Quis non? Sed vide quid dictum est: «Beáti mundicórdes, quóniam ipsi Deum vidébunt». Hoc para, unde vídeas. Ut enim secúndum carnem loquar, quid desíderas ortum solis cum óculis lippis? Sani sint óculi, et erit lux illa gáudium; non sint óculi sani, erit lux illa torméntum. Non enim corde non mundo vidére permittéris, quod non vidétur nisi corde mundo. Repelléris, auferéris, non vidébis.

Responsorium Cf. Mt 11, 29a.b. 30, 11, 28

℟. Tóllite iugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde; * Iugum enim meum suáve est et onus meum leve.

℣. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis et ego refíciam vos. * Iugum.

Oratio

Deus, qui beátam Iosephínam a servitúte abiécta ad dignitátem fíliae tuae et Christi sponsae adduxísti, da nobis, quaésumus, eius exémplo, Dóminum Iesum crucifíxum constánti dilectióne proséqui et in caritáte ad misericórdiam propénsos perseveráre. Per Dóminum.

Eodem die 23 aprilis

S. ADALBERTI, EPISCOPI ET MARTYRIS

Vojtech, natus in Bohemia (Libice) circa annum 956, Magdeburgi studiis incubuit ibique in confirmatione nomen Adalberti accepit. In patriam reversus, sacerdotio initiatus est et anno 983 secundus in sede Pragensi ad episcopatum provectus est atque ad mores paganos exstirpandos strenue adlaboravit. Cum parum se proficere animadverteret, Romam se contulit et monachus efficitur. Denique ad lucrandas Christo animas, in Prussiam proficiscitur. Sed male acceptus, die 23 aprilis 997, martyrio coronatus est.

De Communi unius martyris tempore paschali, vel pastorum: pro episcopis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex vita auctóre coævo conscrípta

(Acta Sanctorum, Aprilis, III, pp. 186-187)

Crucem toto corpore complexus est

Cóngregat se úndique iners vulgus, et quid de sancto Adalbérto dóminus villæ foret actúrus, furibúnda voce et caníno rictu exspéctant. Tunc sanctus vir, quis et unde esset, vel ob quam causam illuc veníret interrogátus, tália e contra miti voce respóndit: «Sum nativitáte Bohémus, nómine Adalbértus, professióne mónachus, órdine quondam Epíscopus, officio nunc vester apóstolus. Causa nostri itíneris est vestra salus, ut relinquéntes simulácra surda et muta, agnoscátis Creatórem vestrum, qui solus et extra quem álter Deus non est; ut credéntes in nómine eius vitam habeátis, et átriis

immarcescibílibus cæléstium gaudiórum prǽmia percípere mereámini». Hæc sanctus Adalbértus. Illi autem iamdúdum indignántes, et cum clamóre blasphéma verba advérsus eum proclamántes, mortem sibi minántur.

Ad últimum áffuit pagánicus furor, et irruérunt super eum et sócios ímpetu magno et iniecérunt omnes in víncula. Sanctus Adalbértus stans, contra Gaudéntium et álium fratrem ligátum, «Fratres — inquit — nolíte contristári! Scitis qui, hæc pátimur pro nómine Dómine, cuius virtus ultra omnes virtútes, pulchritúdo super omnes decóres, poténtia inenarrábilis, píetas singuláris: quid enim fórtius, quid púlchrius, quam dulcem pro dulcíssimo Iesu fúndere vitam?».

Prosílit ex furibúndo ágmine ígneus Siggo, et totis víribus ingens iáculum movens, transfíxit eius penetrália cordis. Prófluit purpúreus sanguis per forámina utriúsque láteris. Ille óculis ac mánibus stat orans in cælum. Exiit rubens amnis dívite vena, et exstráctæ hastæ septem ingéntia vúlnera pandunt.

Ille solútis vínculis exténdit manus in modum crucis et supplíciter fusis précibus pro sua et persecutórum salúte ad Dóminum clamat. Sic illa sancta ánima cárcere suo évolat, sic nóbile corpus proténta Cruce terram óccupat: sic quoque multo sánguine vitam fundens, beátis sédibus et semper caríssimo tandem frúitur Christo.

Responsorium 1 Th 2, 8b; Gal 4, 19

℟. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, * Quóniam caríssimi nobis facti estis, allelúia.

℣. Fílioli mei, quos íterum partúrio, donec formétur Christus in vobis. * Quóniam.

Oratio

Deus, qui beátum Adalbértum epíscopum zelo animárum succénsum martýrio coronásti, eius interveniénte suffrágio concéde, ut nec pastóribus obœdiéntia gregis nec gregi desit cura pastórum. Per Dóminum.

Eodem die 28 aprilis

S. LUDOVICI MARIÆ GRIGNION DE MONTFORT, PRESBYTERI

Natus in vico Montfort in Britannia Minore et Parisiis sacerdotio initiatus, Ludovicus Maria Grignion, a Clemente Papa Undecimo missionarius apostolicus renuntiatus, partes Galliæ occidentales peragravit, evangelizando mysterium Sapientiæ æternæ, Christum incarnatum et crucifixum, viam sanctitatis ad Iesum per Mariam docendo, operi suo consocians presbyteros, fratres et, una cum beata Maria Ludovica Trichet, sorores. In civitate Saint-Laurent-sur-Sèvre, diœcesis Lucionensis, die 28 aprilis 1716 obiit, plurima relinquens scripta, præsertim de mariali spiritualitate.

De Communi pastorum: pro presbyteris, vel sanctorum virorum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Tractátu « De vera devotióne erga beátam Vírginem » sancti Ludovíci M. Grignion de Montfort presbýteri

(nn. 120-121.125-126: Œuvres complètes, Seuil, Paris 1966, pp. 562-563.566-567)

Totus tuus

Cum summa nostræ perfectiónis in eo consístat, ut Iesu Christo confórmes, eídem coniúncti atque consecráti efficiámur, máxima haud dubitánter devótio ea est quæ magis perfécte Iesu Christo nos confórmes reddit atque ei iungit ac cónsecrat. Cum vero María ínter omnes creatúras sit Fílio suo pleníssime confórmis, idcírco præ céteris devotiónibus, illa quæ má-

xime cónsecrat atque confórmem reddit ánimam quandam Dómino nostro devótio est erga Sanctíssimam Vírginem Matrem eius; et quo magis ánima Maríæ consecráta, eo magis éadem Iesu Christo consecráta erit.

Perfécta ergo Iesu Christo consecrátio nihil áliud est quam summa et plena Sanctíssimæ Vírgini sui ipsíus consecrátio, et hæc est devótio quam dóceo.

Hæc autem devotiónis forma óptime vocári potest perfécta renovátio votórum vel promissiónum sancti Baptísmatis. In ea étenim christifidélis totum Beatíssimæ Vírgini se donat, ita ut per Maríam totus Christi sit.

Ex hoc effícitur ut simul quis Beatíssimæ Vírgini se cónsecret et Iesu Christo; Vírgini autem Maríæ, cum aptíssima via sit quam Iesus ipse elégit ad uniónem nobíscum ineúndam et ad nos sibi uniéndos; Dómino vero Iesu cum noster finis últimus sit, cui totum id quod sumus debémus, quia Redémptor et Deus noster est.

Insuper considerándum est quod omnis homo, cum baptizátur, ore próprio vel patríni et matrínæ sollémniter Sátanæ abrenúntiat eiúsque tentatiónibus et opéribus, et Iesum Christum Magístrum suum et summum Dóminum éligit, illi parens sicut servus ex amóre. Hoc autem revéra fit et in hac devotióne: christiánus abrenúntiat dæmónio, mundo, peccáto et semetípsi, atque totus Iesu Christo se donat per manus Maríæ.

In Baptísmate quisquis, saltem explícite, non sese dat Iesu Christo per manus Maríæ neque Dómino méritum suórum bonórum óperum dat. Etiam post Baptísma christiánus omníno liber est applicándi huiuscémodi méritum aliísve vel pro se retinéndi. In hac vero devotióne explícite christifidélis sese dat Dómino nostro per manus Maríæ atque ipsi ex toto cónsecrat própriæ actuositátis virtútem.

RESPONSORIUM Ps 115 (116), 16b. 17a. 18

℟. Dómine, ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ. * Tibi sacrificábo hóstiam laudis, allelúia.

℣. Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius. * Tibi.

Oratio

Deus, qui gressus beáti Ludovíci Maríæ, presbýteri, in viam salútis et dilectiónis Christi, beáta Vírgine comitánte, dirígere voluísti, da ut, eius exémplo, tui amóris mystéria meditántes Ecclésiam tuam ædificáre indefésse studeámus. Per Dóminum.

vel:

Omnípotens ætérnæ Deus, qui sanctum Ludovícum Maríam presbýterum plenæ Christo Fílio tuo deditiónis per eius beátæ Matris manus exímium testem et magístrum effecísti, concéde nobis, ut eándem spiritálem viam sectántes, regnum tuum iúgiter exténdere valeámus. Per Dóminum.

Die 13 maii
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE FATIMA

De Communi B. Mariae Virginis.

Ad Officium lectionis

Lectio altera

Ex Sermónibus sancti Ephraem diáconi

(*Sermo 3 de diversis*: *Opera omnia*,
III syr. et lat., Romae 1743, 607)

Quem totus non capit orbis, Maria sola complectitur

María vero caelum pro nobis facta est divinitátem portans, quam Christus absque eo, quod a patérna glória recéderet, intra angústos úteri límites conclúsit, ut hómines ad altiórem dignitátem extólleret. Hanc solam ex univérso vírginum coetu elégit, ut nostrae esset salútis instruméntum.

In ipsa términum habuére iustórum ac prophetárum ómnium vaticinatiónes. Ex ipsa splendentíssimum illud sidus pródiit, quo duce, pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam.

Divérsis María nomínibus potest aptíssime nuncupári. Ipsa namque templum est Fílii Dei, qui ex eádem álio plane modo egréssus est ac fúerat ingréssus; cum enim ingréssus esset in úterum sine córpore, córpore indútus erúpit.

Ipsa est mysticum illud caelum novum, in quo Rex regum tamquam in sua sede inhabitávit, ex quo in terram delápsus est, terrénam quandam spéciem et similitúdinem prae se ferens.

Ipsa est vitis fructíficans suavitátem odóris, cuius fructus quóniam ab árboris natúra ádmodum discrepábat, necésse fuit, ut suam ab árbore similitúdinem mutuáret.

Ipsa fons est de domo Dómini egrédiens, ex quo sitiéntibus fluxérunt aquae vivae, quas si quis primis dumtáxat lábiis gustáverit, non sítiet in aetérnum.

Errat autem, dilectíssimi, quisquis diem reparatiónis Maríae cum áltera creatiónis comparári posse arbitrátur. Inítio namque terra cóndita est, per eam renováta. Inítio ob Adámi crimen maledícta est in ópere suo, per eam vero pax illi et secúritas restitúta. Inítio protoparéntum delícto in omnes hómines mors pertránsiit, nunc vero transláti sumus de morte ad vitam. Inítio serpens Evae áuribus occupátis, inde virus in totum corpus dilatávit, nunc María ex áuribus perpétuae felicitátis assertórem excépit. Quod ergo mortis fuit, simul et vitae éxstitit instruméntum.

Qui sedet super Cherubím, en modo muliéribus bráchiis sustentátus; quem totus non capit orbis, María sola compléctitur; quem Throni Dominationésque métuunt, puélla fovet; cuius sedes in saéculum saéculi, en virgíneis génibus ínsidet; cuius pedum scabéllum terra est, eándem puerílibus premit vestígiis.

Responsorium

℟. Saldum est cor Vírginis: ad ángeli núntium concépit mystérium divínum; tum in casto ventre suo pulchérrimum suscépit ex fíliis hóminis * et benedícta in aetérnum dedit nobis Deum factum hóminem.

℣. Sedes puri ventris statim templum fit Dei: ope verbi, intácta virgo Fílium concépit * et benedícta.

Oratio

Deus, qui Genetrícem Fílii tui Matrem quoque nostram constituísti, concéde nobis, ut, in paeniténtia et oratióne pro mundi salúte perseverántes, in dies valeámus regnum Christi efficácius promovére. Per Dóminum.

Die 21 maii

SS. CHRISTOPHORI MAGALLANES, PRESBYTERI, ET SOCIORUM, MARTYRUM

Natus est sanctus Christophorus in vico *San Rafaél Totatiche* in Mexico anno 1869. Persecutione erga catholicam Ecclesiam grassante, una cum viginti quattuor aliis presbyteris et christifidelibus laicis, quibus sociatur, variis e dicionibus Mexici variorumque ætatum in odium christiani nominis Christum Regem, sicut socii, confitens, martyrium subiit anno 1927.

De Communi plurimorum martyrum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Caesárii Arelaténsis epíscopi

(*Sermo* 225, 1-2: CCL 104, 888-889)

Qui testimonium pro veritate dederit, Christi martyr erit

Quótiens sollemnitátes mártyrum celebrámus, fratres caríssimi, cogitáre debémus sub ipso Rege nos militáre, sub quo et illi pugnáre vel víncere meruérunt: cogitáre debémus eódem baptísmo nos salvátos, quo et illi salváti sunt; iísdem sacraméntis uti vel confirmári, quae illi merebántur accípere; ipsíus Imperatóris signum in fronte portáre, cuius et illi felíciter portavérunt.

Et ídeo, quótiens natalícia sanctórum mártyrum cúpimus celebráre, debent in nobis beáti mártyres áliquid de suis virtútibus recognóscere, ut illos deléctet

pro nobis Dei misericórdiam supplicáre. Omnis enim ánima díligit símilem sibi. Si ergo símilis símili sociátur, dissímilis longe disiúngitur. Ecce beátus peculiáris noster, cuius festivitátem cólere cum gáudio cúpimus, sóbrius fuit: quómodo ei coniúngi póterit ebriósus? Quam societátem habére póterit húmilis cum supérbo, benígnus cum invído, largus cum cúpido, cum iracúndo mansuétus? Beátus martyr sine dúbio castus fuit: quómodo ei adúlter póterit sociári? Et cum gloriósi mártyres, fratres caríssimi, paupéribus étiam própria erogáverint, quómodo cum illis amíci esse póterunt, qui dirípiunt aliéna? Sancti mártyres studébant étiam inimícos dilígere: quómodo cum illis partem habébunt, qui aliquótiens nec amícis volunt vicem dilectiónis impéndere? Non ergo nos pígeat, fratres caríssimi, vel in quantum póssumus sanctos mártyres imitári, ut illórum méritis et oratiónibus ab ómnibus peccátis mereámur absólvi.

Sed dicit áliquis. Et quis est qui possit sanctos mártyres imitári? Etsi non in ómnibus, in multis tamen rebus, Deo adiuvánte, et póssumus et debémus.

Non potes sustinére flammam? Potes vitáre luxúriam. Non potes toleráre úngulam lacerántem? Contémne avarítiam, iníqua negótia et lucra ímpia persuadéntem. Nam si te móllia vincunt, quómodo te dura non frangunt? Habet et pax mártyres suos: nam iracúndiam víncere, invídiam velut vipéreum venénum respúere, supérbiam refutáre, ódium de corde repéllere, gulae appetítus supérfluos refrenáre, vinoléntiae non crédere, pars magna martýrii est.

Et quotiescúmque vel ubicúmque causam iustam vidéris laboráre, si pro illa testimónium déderis, martyr eris. Et quia iustítia et véritas Christus est, ubicúmque aut iustítia aut véritas aut cástitas laboráverit, si quantum vires habes defenseráveris, mártyrum mercédem

accípies. Et quia martyr latíne «testis» interpretátur, qui testimónium pro veritáte déderit, Christi sine dúbio, qui est véritas, martyr erit.

RESPONSORIUM Phil 1, 21; Gal 6, 14

℟. Mihi vívere Christus est et mori lucrum. * Mihi absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi.

℣. Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. * Mihi absit.

Oratio

Omnípotens aetérne Deus, qui beátos Christóphorum, presbyterum, et sócios Christo Regi usque ad martýrium fidéles effecísti, eórum intercessióne nobis concéde, ut, in verae fídei perseverántes confessióne amóris tui mandátis semper inhaerére valeámus. Per Dóminum.

Die 22 maii
S. RITÆ DE CASCIA, RELIGIOSÆ

In Umbria floruit sæculo quintodecimo. Primum violento viro nupta, eius sævitias patienter toleravit eumque Deo conciliavit; dein, coniuge et filiis orbata, monasterium Ordinis Sancti Augustini utpote religiosa ingressa est, omnibus patientiæ et compunctionis sublime præbens exemplum, ubi requievit ante annum 1457.

De Communi sanctarum mulierum: pro religiosis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Tractátibus sancti Augustíni epíscopi in Ioánnem

(*Tractatus* 81, 4: CCL 36, 531-532)

Verba Christi in nobis manent

«Si manséritis in me — inquit — et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis». Manéndo quippe in Christo, quid velle possunt nisi quod cónvenit Christo? Quid velle possunt manéndo in Salvatóre, nisi quod non est aliénum a salúte? Aliud quippe vólumus, quia sumus in Christo, et aliud vólumus, quia sumus adhuc in hoc saéculo. De mansióne namque huius saéculi nobis aliquándo subrépit, ut hoc petámus quid nobis non expedíre nescímus. Sed absit ut fiat nobis, si manémus in Christo, qui non facit quando pétimus, nisi quod éxpedit nobis.

Manéntes ergo in eo, cum verba eius in nobis manent. Quodcúmque voluérimus petémus, et fiet nobis. Quia si pétimus et non fiet, non hoc pétimus quod habet mánsio in eo, nec quod habent verba eius quae

manent in nobis, sed quod habet cupíditas et infírmitas carnis, quae non est in eo et in qua non manent verba eius. Nam útique ad verba eius pértinet orátio illa quam dócuit, ubi dícimus: « Pater noster, qui es in caelis ». Ab huius oratiónis verbis et sénsibus non recedámus petitiónibus nostris, et quidquid petiérimus, fiet nobis.

Tunc enim dicénda sunt verba eius in nobis manére, quando fácimus quae praecépit, et dilígimus quae promísit; quando autem verba eius manent in memória, nec inveniúntur in vita, non computátur palmes in vite, quia vitam non áttrahit ex radíce. Ad hanc differéntiam valet quoad scriptum est: Et memória retinéntibus mandáta eius, ut fáciant ea. Multi enim memória rétinent, ut contémnant, vel étiam derídeant et oppúgnent ea. In his verba Christi non manent, qui attíngunt quodámmodo, non cohaérent; et ídeo illis non erunt in benefícium, sed in testimónium. Et quia sic insunt eis, ut non máneant in eis, ad hoc tenéntur ab eis, ut iudicéntur ex eis.

Responsorium — Cf. Sir 4, 17a.c

℟. Custódi pedem tuum ingrédiens domum Dei, * Et appropínqua, ut áudias.

℣. Mélior est oboediéntia, quam stultórum víctimae. * Et appropínqua.

Oratio

Largíre nobis, quaésumus, Dómine, sapiéntiam crucis et fortitúdinem, quibus beátam Ritam ditáre dignátus es, ut, in tribulatióne cum Christo patiéntes, pascháli eius mystério intímius participáre valeámus. Qui tecum.

Die 9 iulii

SS. AUGUSTINI ZHAO RONG, PRESBYTERI, ET SOCIORUM, MARTYRUM

Natus est Augustinus in Sinis anno 1746 et, a militia imperatoris ad fidem perseverantia sanctorum martyrum conversus, sacerdos factus est atque ob confessionem et praedicationem Evangelii anno 1815 ipse martyr occubuit. Una cum eo commemorantur permulti socii martyres Ecclesiae Dei, qui, episcopi, presbyteri, religiosi ac religiosae necnon laici viri, mulieres, pueri, puellae et parvuli, variis in ætatibus et locis Sinarum Christi divitias verbo et opere inter angustias testati sunt.

De Communi plurimorum martyrum.

Ad Officium lectionis

Lectio altera

Ex Homília Ioánnis Pauli Papae Secúndi in canonizatióne beatórum mártyrum in Sinis

(AAS 92, 2000, 849-850)

Sanguis martyrum fidem christianam testificat

«Sanctífica eos in veritáte; sermo tuus véritas est». Haec invocátio, quae vocem Christi precis sacerdotális ad Patrem in última Cena elevátae reddit, e sanctórum et beatórum ágmine ascéndere vidétur, quos Spíritus Sanctus per generatiónes in Ecclésia sua súscitat. Bismillénio post incéptum opus redemptiónis, nobis hódie assúmimus hanc invocatiónem, ante óculos habéntes exémpla sanctitátis Augustíni Zhao Rong eiúsque centum et undevigínti sociórum mártyrum in Sinis. Deus Pater, «eos sanctificávit in suo amóre», oratiónem exáudiens Fílii, qui ei «pópulum sanctum

acquírens exténdit manus cum paterétur, ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret».

Ecclésia Dómino grátias agit, quóniam eam benedícit et in eam lucem effúndit cum splendóre sanctitátis horum filiórum et filiárum Sinénsium. Puélla Anna Wang, quattuórdecim annos nata, minis réstitit carníficis, qui eam adhortábat ut a Christi fide defíceret, dicens, dum aequo ánimo ad cápitis amputatiónem se parábat: «Caelórum porta ómnibus apérta est», ac ter múrmurans Iesum invocávit; Xi Guizi, iúvenis duodevigínti annórum, iis, qui bráchium dextrum vix ei abscíderant atque, eo vivente, pellem detráhere moliebántur, impávidus acclamávit: «Unaquaéque pars carnis meae, unaquaéque stilla sánguinis mei in memóriam vestram revocábit, quia christiánus sum».

Eadem fortitúdine et laetítia álii octogínta quinque Sinénses testimónium praebuérunt, viri et mulíeres cuiúsvis aetátis et condiciónis, sacerdótes, religiósae et christifidéles láici, qui dono vitae indefectíbilem suam fidelitátem erga Christum et Ecclésiam confirmavérunt. Quod áccidit váriis in aetátibus et in angústis difficilibúsque tempóribus históriae Ecclésiae in Sinis.

In hoc mártyrum ágmine etiam trigínta et tres missionárii ac missionáriae resplénduunt, qui, pátriam suam dereliquéntes, se in natúram rerum et mentem Sinénsium ínseri conáti sunt, particularitátes illárum pártium contéxtus magno cum amóre assuméntes, desidério capti Christum annuntiándi et huic pópulo serviéndi. Eórum sepúlcra eo adhuc manent, ut demónstrent se illíus esse pátriae próprios, quam sincéro corde, etiámsi humána infirmitáte, dilexérunt, in eam omnes vires suas impendéntes. «Némini nocúimus», respóndit epíscopus Franciscus Fogolla ad gubernatórem, qui próprio gládio ad eum percutiéndum se parábat, «e contrário multis profúimus».

RESPONSORIUM Cf Mt 5, 44b-45a.48

℟. Dilígite inimícos vestros, benefácite his, qui odérunt vos, et oráte pro persequéntibus et calumniántibus vos, * Ut sitis fílii Patris vestri, qui in caelis est.

℣. Estóte ergo perfécti, sicut et Pater vester caeléstis perféctus est. * Ut sitis.

Oratio

Deus, qui per sanctórum mártyrum Augustíni et sociórum confessiónem Ecclésiam tuam mirábili dispensatióne roborásti, concéde ut pópulus tuus, missióni sibi créditae fidélis, et increménta libertátis accípiat et veritátem coram mundo testificétur. Per Dóminum.

Die 20 iulii

S. APOLLINARIS, EPISCOPI ET MARTYRIS

Investigabiles divitias Christi inter gentes propagans, secundo sæculo exeunte, ut videtur, Ecclesiam Classensem apud Ravennam in Flaminia episcopus duxisse et inclito martyrii honore decoravisse traditur. Die vero 23 iulii ad Dominum migravit.

De Communi unius martyris.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Petri Chrysólogi episcopi

(*Sermo* 128, 1-3: CCL 24A, 789-791)

Ecce martyr regnat et vivit

Beátus Apollináris Ecclésiam vernáculo atque ínclito martýrii honóre decorávit. Mérito Apollináris, quia iuxta mandátum Dei sui hic pérdidit ánimam suam, ut eam in vita conquíreret sempitérnam. Beátus qui ita cursum consumávit, fidem servávit, ut vere primus sibi credéntibus repperirétur in loco. Nec eum quisquam confessóris vocábulo minórem credat esse quam mártyrem, quem Dei nutu cotidiánum et multíplicem revérsum cónspicit ad agónem. Audi Paulum dicéntem: «Cotídie mórior». Semel mori parum est eum, qui potest regi suo gloriósam saepe de hóstibus reférre victóriam. Non tam mors quam fides et devótio mártyrem facit; et sicut virtútis est in ácie, in conflíctu, pro regis amóre succúmbere, ita perféctae virtútis est diu

ágere et consumáre certámina. Non ídeo perfúnctum mártyrem, quia non statim íntulit mortem, sed probávit mártyrem, quia non elícuit fidem; eiécit tela quae pótuit, et ómnia armórum suórum génera cállidus éxpetit inimícus, nec tamen fortíssimi ductóris locum movére pótuit aut temeráre constántiam. Summum est, fratres, pro Dómino praeséntem vitam, si necésse sit, contémnere, sed gloriósum est etiam cum vita mundum suo témnere et conculcáre cum príncipe.

Festinábat Christus ad mártyrem, martyr suum festinábat ad regem. Bene díximus festinábat, iuxta illud prophétae: «Exúrge in occúrsum mihi, et vide». Sed ut propugnatórem suum sibi Ecclésia sancta retinéret, Christo veheménter occúrrit, ut et vincénti iustítiae reserváret corónam et sibi belli témpore praeliatóris sui praeséntiam condonáret. Fundébat saepe conféssor sánguinem suum suísque vulnéribus, fide mentis, suum testabátur auctórem. Caelum suspíciens carnem despiciébat et terram. Vicit tamen, ténuit, et a suo desidério retardári mártyrem ténera adhuc Ecclésiae impetrávit infántia. Infántiam dico, quae totum semper óbtinet; quae plus lácrimis quam vírium ratióne conténdit. Neque enim tantum vultus et sudor fórtium quantum possunt lácrimae parvulórum, quia ibi córpora, hic corda frangúntur; ibi mentis iudícia vix movéntur, hic tota píetas inclináta descéndit.

Et quid plura? Egit, egit Ecclésia sancta mater, ut nusquam a suo separarétur antístite. Ecce vivit, ecce ut bonus pastor suo médius assístit in grege, nec umquam separátur spíritu, qui córpore praecéssit ad tempus. Praecéssit, dico, hábitu; caétero ipsa inter nos córporis sui habitatióne requiéscit. Extínctus est diábolus, persecútor occúbuit; ecce regnat et vivit, qui pro rege suo desiderávit occídi.

RESPONSORIUM Cf. 2 Tim 4, 7-8b; Phil 1, 21

℟. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávit: * Nunc autem repósita est mihi coróna iustítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die iustus iudex.

℣. Mihi vívere Christus est, et mori lucrum * Nunc autem.

Oratio

Dírige fidéles tuos, Dómine, in viam salútis aetérnae, quam beátus Apollináris epíscopus doctrína et martýrio monstrávit, et fac nos, eódem intercedénte, sic in mandátis tuis perseveráre, ut cum ipso coronári mereámur. Per Dóminum.

Die 24 iulii

S. SARBELII MAKHLŪF, PRESBYTERI

Natus est in vico *Biqa' Kafra* in Libano anno 1828. Ordinem Libanensium Maronitarum ingressus, Sarbelii nomen accepit et, sacerdotio auctus, arctæ solitudinis et altioris perfectionis studiosus, e cœnobio Annaiæ in eremum secessit, ubi summa vitæ asperitate, continuis ieiuniis et obsecrationibus Deo servivit et die 24 decembris 1898 pie obdormivit in Domino.

De Communi pastorum: pro presbyteris, vel sanctorum virorum: pro religiosis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístolis sancti Ammónii eremítae

(*Ep* 12: PO 10/6, 1973, 603-607)

Deo proximi, medici animarum constituti sunt

Dilectíssimi in Dómino, vos scitis, facta praevaricatióne praecépti, ánimam non posse Deum cognóscere nisi seípsam ab homínibus et ómnibus occupatiónibus elongáverit. Tunc enim videt adversárium suum, quantópere sibi resístat. Viso autem adversário suo secum colluctánte eóque devícto secum aliquándo conflictánte, dein Deus hábitat in ea et ex tristítia in gáudium et exultatiónem transfórmatur. Quodsi autem in pugna superáta est, supervénit ei tristítia et tepor cum multis áliis rebus et moléstia génerum diversórum.

Huius causa Patres in erémo solitário modo vitam agébant, cum Elías Thesbítes, tum Ioánnes. Nolíte existimáre eos inter hómines iustos fuísse, eo quod inter

hómines invénti sunt operántes ipsam iustítiam, sed prius in magno erant siléntio et hac ratióne accepérunt Dei virtútes, ut in eis hábitet, et tunc misit eos Deus inter hómines, postquam omnes virtútes assecúti erant, ut essent dispensatóres Dei et sanárent infirmitátes eórum. Médici erant enim animárum imbecillitátem eárum sanáre voléntes. Qua ígitur de causa e siléntio erépti ad hómines mittúntur, sed tunc demum mittúntur, quando omnes eórum infirmitátes sanátae erant. Fíeri enim nequit, ut ánima aedificatiónis causa ad hómines mittátur, dum áliquas imperfectiónes hábeat. Qui autem ántequam perfectiónem consecúti sunt, proficiscúntur, próprio arbítrio véniunt, non vero Dei voluntáte, Deus autem de his, qui huiúsmodi sunt, eos vitúperans dicit: « Ego — ait — non misi eos et ipsi currébant ». Quaprópter ne ánimam quidem suam possunt serváre, eo minus ánimas aliénas possunt aedificáre.

Qui vero a Deo mittúntur, non libénter elongántur a siléntio. Sciunt enim se in siléntio acquisiísse virtútem divínam. Attamen ne tales sint, qui Creatóri non oboédiant, proficiscúntur ad aedificatiónem spiritálem ipsum imitántes: quemádmodum Pater misit Fílium suum verum de caelo, ut sanáret omnes morbos et infirmitátes hóminum. Scriptum est enim: « Hic dolóres nostros tulit et infirmitátes nostras portávit ». Quaprópter omnes sancti, qui ad hómines véniunt eos sanatúri, Creatórem imitántur in ómnibus, quo nempe modo digni efficiántur adoptióne filiórum Dei et, ut quemádmodum est Pater et Fílius, ipsi quoque sint in saéculum saeculórum.

En, dilectíssimi, osténdi vobis siléntii virtútem, quómodo omni ex parte sanet et quómodo Deo accéptum sit. Quaprópter scripsi vobis, ut fortes vos exhibeátis in illa re, cui óperam datis, et sciátis ope siléntii profecísse

omnes sanctos et ídeo virtútem divínam in eis habitásse et ídeo mystéria caeléstia eis indicásse et eius grátia totam vetustátem mundi huius profligásse. Et qui haec scripsit vobis, ope ipsíus pervénit ad hanc mensúram.

Multi autem sunt hac aetáte anachorétae, qui non possunt in siléntio perseveráre, quóniam non póterant víncere voluntátem suam. Et ídeo assíduo inter hómines hábitant, qui néqueunt se ipsos contémnere et consuetúdinem humáni géneris fúgere et in pugna luctári. Proptérea, relícto siléntio, restant se cum propínquis suis consolántes toto vitae suae témpore. Et ídeo non sunt dignáti suavitáte divína, nec eo ut in eis inhábitet virtus divína. Apparénte enim eis virtúte, ínvenit eos consolántes se saéculo tabernáculi huius et passiónibus ánimae ac córporis, nec proínde potest descéndere super eos; immo neque amor pecúniae et vana hóminum glória et omnes infirmitátes ánimae et occupatiónes sinunt virtútem divínam descéndere super eos.

Vos autem fortes vos exhibeátis in illa re, cui óperam datis. Qui enim a siléntio recédunt, non possunt superáre passiónes suas, nec possunt pugnáre contra adversárium suum, cum sint passiónibus suis súbditi; vos autem et passiónes superátis et virtus divína vobíscum sit.

Responsorium Phil 3, 8b.c. 10b; Rom 6, 8

℟. Omnia detriméntum feci, ut Christum lucrifáciam. * Ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis eius et communiónem passiónum illíus.

℣. Si mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo. * Ad cognoscéndum.

Oratio

Deus, qui sanctum Sarbélium, presbýterum, ad singulárem pugnam erémi vocásti et omni génere pietátis imbuísti, concéde nobis, quaésumus, ut imitatóres domínicae passiónis effécti regno eius mereámur esse consórtes. Per Dóminum.

Eodem die 2 augusti

S. PETRI IULIANI EYMARD, PRESBYTERI

Natus est in oppido La Mure, in Gallia, anno 1811. Sacerdotio auctus et pastorali curæ per aliquot annos addictus, Societatem Mariæ ingressus est. Eximius eucharistici mysterii cultor, religiosorum, tum virorum cum mulierum, congregationes ad cultum eucharisticum intendentes instituit, atque ad fovendum apud cuiusvis condicionis gentes amorem erga sanctam Eucharistiam plurima atque aptissima duxit incepta. Mortuus est die prima mensis augusti 1868, in oppido natali.

De Communi pastorum: pro presbyteris, vel sanctorum virorum: pro religiosis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex scriptis sancti Petri Iuliáni Eymárd, presbýteri

(La Présence réelle, vol. I, Paris 1950,
pp. 270-271 et 307-308)

Eucharistia: sacramentum vitæ

Eucharístia est ómnium géntium vita. Eucharístia eísdem vitæ princípium præbet. Omnes possunt convenire nullo impediménto admísso sive ex natióne sive ex sermóne ad Ecclésiæ sacra festa celebránda. Eucharístia vitæ legem eis tradit, quin immo caritátis, cuius hoc sacraméntum est fons: qua de causa ipsa tali ratióne cónficit ínter eósdem éfficit commúne vínculum, quandam christiánam propinquitátem. Omnes eúndem panem mandúcant, omnes sunt Iesu Christi convívæ, qui creat inter ipsos supernaturáliter quan-

dam concórdiam fraternórum morum. Actus Apostolórum legátis. Qui affírmant multitúdinem primórum christianórum, Iudæórum conversórum et paganórum baptizatórum, ex divérsis regiónibus proveniéntium esse *cor unum et ánimam unam*. Curnam? Quia assídui erant in Apostolórum doctrína audiénda et perseverántes in fractióne panis.

Eucharístia quidem est ánimæ et humánæ societátis vita, sicut sol est córporum et orbis terrárum vita. Sine sole terra est stérilis, ille eam lætíficat, exórnat locupletátque; ille efficacitátem, vim, pulchritúdinem corpóribus tríbuit. Coram his evéntibus mirabílibus opórtet nos non mirémur pagános eúndem velut mundi deum excoluísse. Diéi astrum enim obœdit et paret summo Soli, Verbo divíno, Iesu Christo, qui collústrat omnes hómines in hunc mundum veniéntes et qui ipse per eucharístiam agit, sacraméntum vitæ, in íntimis ánimis, ita ut hac ratióne famílias ac natiónes infórmet, beáta et quidem beatíssima fidélis ánima quæ hunc thesáurum abscónditum ínvenit, quæ sitim depéllit de vitæ fonte, quæ sæpe hunc vitæ Panem mandúcat.

Commúnitas christianórum ínsuper est família. Vínculum ínter eiúsdem membra est Iesus-eucharístia. Ipse est pater qui mensam famíliæ parat. Fratérnitas christiána promulgáta est in Cena una cum Iesu Christi paternitáte; ipse suos Apóstolos appéllat *filíolos*, scílicet meos púeros, et eísque mandat ut ínvicem se díligant sicut ille diléxit eos.

Apud sanctam mensam omnes sunt púeri qui eúndem cibum suscípiunt, et sanctus Paulus ex hoc conclúdit eósdem famíliam constitúere, idem corpus, quia omnes de uno pane participántes, qui Iesus Christus est. Eucharístia dénique communitáti christiánæ partícipat virtútem servándi legem honóris caritatísque

erga próximum. Iesus Christus iubet suos fratres cólere ac dilígere. Quam ob rem ipse eorúndem persónam índuit: *Quámdiu fecístis uni de his frátribus meis minimis, mihi fecístis;* ipse unicuíque per sanctam communiónem se tradit.

RESPONSORIUM Cf. 1 Cor 10, 17; Io 6, 58a; Ps 80, 17a

℟. Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participámur. * Hic est panís, qui de cælo descéndit.

℣. Cibávit nos Dóminus ex ádipe fruménti. * Hic est panis.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Iuliánum, erga sacra mystéria Córporis et Sánguinis Fílii tui dilectióne decorásti mirífica, concéde propítius, ut, quam ille ex hoc divíno percépit pinguédinem, eándem et nos percípere mereámur. Per Dóminum.

Die 9 augusti

S. TERESIÆ BENEDICTÆ A CRUCE, VIRGINIS ET MARTYRIS

Nata est Breslaviæ (*Wrocław, Breslau*) in Germania anno 1891 et, in iudaica religione nata et instituta, aliquot annos magnas inter ærumnas philosophiam egregie professa est. Vitam novam in Christo per baptismum suscepit et, Teresiæ Benedictæ a Cruce nomine accepto, inter Carmelitas Discalceatas Coloniæ (*Köln*), ubi secessit, prosecuta est. Tempore persecutionis, exsul in Nederlandia, in captivitatem trusa, anno 1942 in campum exitii *Oświęcim* seu *Auschwitz* prope Cracoviam in Polonia deportata est et mortifero vapore enecata.

De Communi unius martyris, vel virginum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex ópere « Sciéntia Crucis » sanctae Terésiae Benedíctae a Cruce virginis et martyris

(*Edith Steins Werke,* I, Friburgi in Br. 1983, 15-16)

Credentibus in Crucifixum porta vitae aperitur

Christus iugum legis suscépit, legem plene servans et pro lege ac per legem móriens. Qua de re liberávit eos, qui per eum vitam recípere volunt. Sed recípere non possunt, nisi vitam própriam offeréntes. « Nam quicúmque baptizáti sunt in Christum Iesum, in mortem ipsíus baptizáti » sunt. In vitam eius immergúntur, ut membra córporis eius fiant et tamquam membra eius cum ipso pateréntur et moreréntur. Haec vita die glóriae abundántius véniet; sed iam nunc in carne degéntes ea participámus, si crédimus; si crédimus

Christum pro nobis mórtuum esse, ut nobis vitam cónferat. Hac fide cum eo tamquam membra cum cápite únimur; haec fides nos pro fonte vitae eius áperit. Ideo fides quae est in Crucifíxo, fides scílicet viva amóre devóto coniúncta, pro nobis porta vitae et inítium glóriae ventúrae est; ídeo crux gloriátio nostra única est: « Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucífixus est, et ego mundo ».

Qui Christum elégit, mundo mórtuus est et mundus illi. Stígmata Christi in córpore suo portat, infírmus est et contémptus ab homínibus sed éadem causa valens est, qui virtus Dei in infirmitáte perfícitur. Hac cognitióne discípulus Iesu non tantum crucem sibi impósitam áccipit, sed etiam seípsum crucíficat: « Qui autem sunt Christi Iesu, carnem crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis ». Certámine duro contra natúram suam pugnavérunt, ut vita peccáti in eis moriátur et vitae Spíritus spátium detur. In hoc certámine summa fortitúdo postulátur. Crux autem non finis est; crux exaltátur, ut caelum osténdet. Non solum signum est, sed etiam armatúra Christi invícta: báculum pastóris, quo David divínus contra Góliath nefándum certat; quo Christus fórtiter ad portam caeli pulsat eámque áperit. Quae cum fiunt lux divína effundétur omnésque Crucifíxum sequéntes adimplébit.

Responsorium Gal 2, 19-20

℟. Christo confíxus sum cruci: vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. * Qui diléxit me et trádidit seípsum pro me.

℣. Quod autem vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei. * Qui diléxit me.

Oratio

Deus patrum nostrórum, qui beátam Terésiam Benedíctam mártyrem ad cognitiónem Fílii tui crucifíxi eiúsque imitatiónem usque ad mortem perduxísti, ipsa intercedénte concéde, ut omnes hómines Christum Salvatórem agnóscant et per eum ad perpétuam tui visiónem advéniant. Qui tecum.

Die 14 augusti

S. MAXIMILIANI MARIÆ KOLBE, PRESBYTERI ET MARTYRIS

Memoria

Maximilianus Maria Kolbe die 8 ianuarii in Polonia natus, Ordinem Fratrum Minorum Conventualium adolescens ingressus est, et anno 1918 sacerdos in Urbe ordinatus. Filiali flagrans in Deiparam Virginem pietate, pium sodalicium, cui nomen « Militiæ Mariæ Immaculatæ », excitavit, quod tum in patria tum in aliis regionibus late propagavit. Missionarius in Iaponiam adveniens, christianam fidem sub eiusdem Virginis Immaculatæ auspiciis ac patrociniis dilatare studuit. Tandem in Poloniam reversus, plurimasque in campo de Oświęcim Cracoviensis districtus perpessus ærumnas, immani sæviente populorum conflictu, actuosam vitam in holocaustum caritatis die 14 augusti 1941 consummavit.

De Communi unius martyris, vel pastorum: pro presbyteris, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Epístolis sancti Maximiliáni Maríæ Kolbe

(O. Joachim Roman Bar, O.F.M. Conv., ed., Wybór Pism, Warszawa 1973, 41-42; 226)

Apostolicus impendendus zelus in procuranda, animarum salute et sanctificatione

Magno affícior gáudio, dilécte frater, ob flagrántem zelum qui ad promovéndam Dei glóriam te adúrget. Nostris enim tempóribus, non sine mœróre, vidémus epidémicum quemdam morbum, quem *indifferentí-*

smum vocant, nedum inter sæculáres sed et inter religiósos sodáles, váriis quidem formis propagári. At vero, cum Deus sit dignus infiníta glória, id primum ac potíssimum nobis máximam est, pro tenuitátis nostræ facúltate, eídem glóriam reférre, etsi tantam quam a nobis ipse merétur, éxiles cum simus creatúræ, numquam tribúere valeámus.

Cum autem Dei glória in animárum salúte, quas Christus próprio sánguine redémit, quam máxime respléndeat, áltius ac præcípuum apostólicæ vitæ stúdium illud esto, quamplúrium animárum salútem immo et altiórem sanctificatiónem procuráre. Quæ vero in hunc finem áptior præsto sit via, scílicet ad divínam comparándam glóriam necnon plurimárum animárum sanctificatiónem, paucis dicam. Deus, qui infiníta sciéntia ac sapiéntia est, adeóque quid a nobis contínuo præstándum sit ut eius adaugeátur glória óptime novit, voluntátem suam nobis per suos in terris vices geréntes, ut plúrimum, maniféstat.

Est ítaque obœdiéntia, eáque sola, quæ nobis divínam voluntátem certo maniféstat. Póterit quidem supérior in errórem incúrrere, fíeri autem non póterit ut nos, obœdiéntiam sectántes, in errórem inducámur. Tunc tantum obœdiéndi darétur excéptio, si supérior quídpiam præcíperet quod divínæ legis violatiónem, vel in mínimo, manifésto invólveret: quo in casu fidélis ipse Dei voluntátis intérpres non esset.

Deus isque solus infinítus, sapientíssimus, sanctíssimus, clementíssimus est Dóminus, Creátor et Pater noster, princípium et finis, sapiéntia et poténtia et amor, ómnia ipse Deus. Quidquid vero extra Deum invenítur, eátenus valet quátenus ad ipsum refértur, qui est rerum ómnium Cónditor hominúmque Redémptor, últimus totíus creatiónis finis. Ipse ítaque est, qui adorábilem suam voluntátem per suos in terris vices

geréntes nobis maniféstat et nos ad se trahit, álias quoque ánimas per nos ad se tráhere ac perfectióre sibi caritáte coniúngere inténdens.

Vide, frater, quanta sit, per Dei misericórdiam, condiciónis nostræ dígnitas. Per obœdiéntiam, exiguitátis nostræ términos véluti transcéndimus, divinǽque voluntáti conformámur, quæ infiníta sua sapiéntia ac prudéntia ad recte agéndum nos dírigit. Immo, eídem divínæ inhæréntes voluntáti, cui nulla res creáta resístere potest, cunctis fortióres effícimur.

Hæc est sapiéntiæ ac prudéntiæ sémita, hæc única via est, qua Deo summam glóriam reférre valeámus. Si ália et áptior via esset, eam Christus verbo exemplóque suo nobis profécto manifestásset. Sed diutúrnam eius in Názareth vitæ consuetúdinem divína Scriptúra iis perstrínxit verbis: Et erat súbditus illis, reliquúmque vitæ cursum sub obœdiéntiæ véluti signo nobis adumbrávit, passim osténdens eum in terras descendísse ut fáceret voluntátem Patris.

Diligámus ítaque, fratres, summópere diligámus cæléstem amantíssimum Patrem, sitque huius perféctæ caritátis arguméntum obœdiéntia nostra, tunc vel máxime exercénda cum própriæ voluntátis sacrifícium nobis postulétur. Nec enim sublimiórem librum nóvimus, quam Iesum Christum crucifíxum, ut in amóre Dei progrediámur.

Quæ ómnia expedítius per Vírginem Immaculátam obtinébimus, cui Deus benigníssimus suæ dispensatiónem misericórdiæ commísit. Nullum équidem dúbium, quin Maríæ volúntas ipsíssima Dei volúntas nobis sit. Cumque nosmetípsos eídem dedicámus, instruménta in eius mánibus, quemádmodum et ipsa in Dei mánibus, divínæ misericórdiæ effícimur. Sinámus ítaque nos ab ea dírigi, sinámus ab ea manudúci, simúsque sub eius ductu quiéti ac secúri: cuncta enim nobis ipsa

prospíciet, cuncta providébit, córporis animíque necessitátibus prompta succúrret, difficultátes et angústias ipsa removébit.

RESPONSORIUM Eph 5, 1-2; 6, 6b

℟. Estóte imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi, et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit seípsum pro nobis. * Oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis.

℣. Ut servi Christi faciéntes voluntátem Dei ex ánimo. * Oblatiónem.

Ad Laudes matutinas

Ad Benedictus, ant. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est et mori lucrum.

Oratio

Deus, qui sanctum Maximiliánum Maríam, presbýterum et mártyrem, amóre Vírginis Immaculátæ succénsum, animárum zelo et próximi dilectióne replevísti, concéde propítius, ut, eo intercedénte, pro tua glória in servítio hóminum strénue laborántes, usque ad mortem Fílio tuo conformári valeámus. Qui tecum.

Die 9 septembris

S. PETRI CLAVER, PRESBYTERI

Petrus Claver Verduni in Hispania natus est anno 1580; litteris et artibus studuit in Universitate Barcinonensi et deinde Societatem Iesu ingressus est. Missionariam vocationem exaudivit speciatim ope S. Alphonsi Rodríguez, ianitoris in Collegio Maioricensi. Sacerdotio initiatus in missione Columbiana, ibidem usque ad mortem apostolatum exercuit inter servos Nigritas, factus ex voto «Æthiopum semper servus». Viribus fractis, Carthagenæ in Columbia obiit die 8 septembris 1654.

De Communi pastorum: pro presbyteris, vel sanctorum virorum: pro iis qui opera misericordiæ exercuerunt.

Ad Officium lectionis

Lectio altera

Ex Epístolis sancti Petri Claver, presbýteri

(Epist. diei 31 maii 1627: A. Valtierra, S.I., San Pedro Claver, Cartagena 1964, pp. 140-141)

Evangelizare pauperibus, mederi contritis corde, prædicare captivis indulgentiam

Heri, 30 maii huius anni 1627, in festo Sanctíssimæ Trinitátis, exscendérunt e máxima navi plúrimi nigrítæ ex flumínibus Africæ extrácti. Procúrrimus, feréntes in binis sportis áurea mala, cítrea, dulciária biscócta et néscio quid áliud. Casas eórum adímus. Videbámur Guinéam álteram intrásse! per médias catérvas perrumpéndum fuit, donec ad ægrótos pervenímus, quorum ingens erat númerus, húmido vel pótius lutuléntо solo decumbéntium — erat autem excogitátum, ne humor nímius esset, ággerem exstrúere, tégulas et

lateritia frágmina intermiscéndo — hic ergo erat eórum lectus, non hac solum de causa perincómmodus, sed præcípue quia nudi erant, sine ulla véstium protectióne.

Pósito ígitur pállio, comportávimus ex mércium apothéca quidquid ad tabulátum compingéndum súberat: sic locum strávimus in quem, per médios manípulos perrumpéntes, ægrótos tandem deportávimus. Dein illos in binos cœtus distribúimus: álios sócius meus cum intérprete ádiit: álios ipse adórtus sum. Duo erant nigrítæ, morti quam vitæ propióres, iam frígidi, et in quibus venárum pulsus haud repértus. Prunas ope tégulæ contráximus atque in médium contúlimus, prope moribúndos; dein in hunc ignem odóres proiécimus, quorum duas bursas replétas habebámus, quas omníno hac occasióne consúmpsimus. Deínde, ope nostrum palliórum, nam ipsi nihil huiúsmodi habent et írrite ália ab ipsórum domínis petiissémus, suffiméntum præbúimus, quo æstum et vitálem spíritum recípere visi sunt. Erat vidére qua oculórum hilaritáte in nos respícerent!

Hoc modo eos allocúti sumus, non verbis sed mánibus et ópere: et quidem, persuásum habéntibus huc tractos esse ut comederéntur, quílibet álius sermo prorsus inútilis evasísset. Consédimus dein vel genufléximus apud ipsos, lavimúsque vino tum fácies tum córpora, satagéntes blandítiis eos exhilaráre et pandéntes coram ipsis motíva naturália quæ ægrótos in lætítiam quoquómodo perdúcere valent.

Post hæc aggréssi sumus catechísmum baptísmi explicáre, quales scílicet sint eius mirábiles efféctus pro córpore et ánima: cum hæc, quæstiónibus nostris respondéntes, visi sunt satis intellexísse, transívimus ad doctrínam fusiórem, de Deo scílicet uno, qui et prǽmia et pœnas iuxta cuiúsque mérita distríbuit, et réliqua.

Rogávimus elícerent contritiónis actum manifestarént-que commissórum detestatiónem. Tandem, cum sat paráti visi sunt, declarávimus eis mystéria Trinitátis, Incarnatiónis et Passiónis, et ostendéntes Christum cruci affíxum, prout depíctus est supra baptísmi fontem in quem défluunt ex Chrísti vulnéribus sánguinis rívuli, præívimus eis recitándo, eórum lingua, actum contritiónis.

RESPONSORIUM Mt 25, 35. 40b; Io 15, 12

℟. Esurívi, et dedístis mihi manducáre; sitívi, et dedístis mihi bíbere; hospes eram, et collegístis me: * Amen dico vobis, quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

℣. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis invicem, sicut diléxi vos. * Amen dico.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum servórum servum effecísti eúmque mira in eis iuvándis caritáte et patiéntia roborásti, eius nobis intercessióne concéde, ut, quæ Iesu Christi sunt, quæréntes, próximos ópere et veritáte diligámus. Per Dóminum.

Die 12 septembris

SANCTISSIMI NOMINIS MARIAE

De Communi B. Mariae Virginis, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Homilíis sancti Bernárdi abbátis in Láudibus Vírginis Matris

(*Hom. 2*, 17, 1-33: SCh 390, 1993, 168-170)

In omnibus Mariam cogita et invoca

«Et nomen — inquit Evangelísta — Vírginis María». Loquámur pauca et super hoc nómine, quod interpretátum «maris stella» dícitur, et Matri Vírgini valde conveniénter aptátur. Ipsa namque aptíssime síderi comparátur, quia, sicut sine sui corruptióne sidus suum emíttit rádium, sic absque sui laesióne Virgo párturit Fílium. Nec síderi rádius suam mínuit claritátem, nec Vírgini Fílius suam integritátem. Ipsa ergo est nóbilis illa stella ex Iacob orta, cuius rádius univérsum orbem illúminat, cuius splendor et praefúlget in supérnis et ínferos pénetrat, terras etiam perlústrans et calefáciens magis mentes quam córpora fovet virtútem, excóquit vitia. Ipsa, inquam, est praeclára et exímia stella super hoc mare magnum et spatiósum necessário subleváta, micans méritis, illústrans exémplis.

O quisquis te intélligis in huius saéculi proflúvio magis inter procéllas et tempestátes fluctuáre quam per terram ambuláre, ne avértas óculos a fulgóre huius síderis, si non vis óbrui procéllis! Si insúrgant venti

tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum, réspice stellam, voca Maríam. Si iactáris supérbiae undis, si ambitiónis, si detractiónis, si aemulatiónis, réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia aut avarítia aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiae foeditáte confúsus, iudícii horróre pertérritus, báratro incípias absorbéri tristítiae, desperatiónis abýsso, cógita Maríam.

In perículis, in angústiis, in rebus dúbiis Maríam cógita, Maríam invóca. Non recédat ab ore, non recédat a corde et, ut ímpetres eius oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum. Ipsam sequens non dévias, ipsam rogans non despéras, ipsam cógitans non erras; ipsa tenénte non córruis, ipsa protegénte non métuis, ipsa duce non fatigáris, ipsa propítia pérvenis et sic in temetípso experíris quam mérito dictum sit: «Et nomen Vírginis María».

Responsorium — Sir 24, 27-28; Lc 1, 27c

℟. Doctrína enim mea super mel dulcis et heréditas mea super mel et favum. * Et nomen vírginis María.

℣. Memória mea in generatiónes saeculórum. * Et nomen.

Oratio

Concéde, quaésumus, omnípotens Deus, ut cunctis gloriósum beátae Maríae Vírginis nomen celebrántibus misericórdiae tuae benefícia ipsa procúret. Per Dóminum.

Die 23 septembris

S. PII DE PIETRELCINA, PRESBYTERI

Memoria

In vico Pietrelcina apud Beneventum in Italia ortus est anno 1887 et, Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum ingressus ac sacerdotio auctus, praesertim in conventu oppiduli Sancti Ioannis Rotundi in Apulia summa cum pastorali deditione ministerium praebuit, fidelium spirituali moderatione paenitentium reconciliatione et providenti erga infirmos pauperesque cura, populo Dei inserviens in oratione et humilitate. Christo crucifixo plene configuratus, die 23 septembris 1968 peregrinationem terrenam complevit.

De Communi pastorum: pro presbyteris, vel sanctorum virorum: pro religiosis.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Lítteris sancti Pii de Pietrelcína, presbýteri

(*Editio* 1994: II, 87-90, n. 8)

Lapides aedificii aeterni

Paráre divínus Artifex lápides, quibus aedifícium aetérnum éxstruat, quaerit assíduis tunsiónibus scalpri salutíferi et diligénti expoliatióne, uti mitíssima mater nostra, sancta Ecclésia Cathólica, canit in hymno offícii dedicatiónis ecclésiae. Et sic vere est.

Anima quaeque ad aetérnam destináta glóriam se óptime lapis ad aedifícium aetérnum erigéndum constitúta definíre potest. Structóri aedem erigéndam quaerénti óptime primum lápides ipsam exstructúras expolíre opórtet. Quod ille mállei scalpríque tunsiónibus conséquitur. Páriter vero Pater caeléstis in áni-

mas eléctas se gerit, quae, inde ab aetérno, summa sapiéntia ac providéntia Eius ad aedifícium aetérnum erigéndum destinátae sunt.

Anima autem ad regnándum cum Christo in glória aetérna constitúta mállei scalpríque tunsiónibus expoliénda est, quibus útitur divínus Artifex, ut lápides, seu scílicet ánimas eléctas, paret. At quae mállei hae scalpríque tunsiónes? Umbrae, soror mea, timóres, temptatiónes, spíritus maeróres ac spirituáles timóres áliquam aegritúdinem oléntes, et moléstiae córporis.

Grátias, ergo, ágite infinítae pietáti aetérni Patris, qui sic ánimam vestram ad salútem deputátam gerit. Cur non gloriári benévolis his óptimi ex ómnibus pátribus adiúnctis? Aperíte cor huic caelésti animárum médico et trádite vos omni fidúcia pleni sanctíssimis eius bráchiis: qui vos tamquam eléctos gerit, ut cómminus Iesum super clivum Calvárii sequámini. Laetítia ego et sollertíssimo ánimi motu quómodo in vobis grátia se gésserit consídero.

Haud dubitétis quin ómnia, quae ánimae vestrae occurrérunt, Dóminus ordináverit. Ne timeátis ídeo in malum seu iniúriam Dei incúrrere! Sufficiat vobis scire in tota vestrae vitae ratióne numquam offendísse Dóminum, qui immo magis magísque celebrátus est.

Si hic benevolentíssimus Sponsus ánimae vestrae latet, id facit non quia, uti existimátis, de perfídia vestra vindicáre velit, sed quia ámplius periclitátur ille fidelitátem ac constántiam vestram et eméndat vos praetérea a morbis quibúsdam, qui tales óculis carnálibus non vidéntur, morbi scílicet culpaéque illae, quarum ne iustus quidem immúnis est. Dícitur enim in sacris páginis: «Sépties enim cadet iustus» (*Prov* 24, 16).

Et crédite mihi, quia, si tam afflíctos vos nescírem, minus laetárer, cum Dóminum intellígerem minus

vobis donáre gemmas ... Eícite, sicut temptatiónes, dúbia advérsa ... Eícite et dúbia, quae ad vestrae pértinent vitae ratiónem, scílicet quod divínas vocatiónes non audítis et dúlcia obsístitis invitaménta Sponsi. Quae ómnia non ex bono spírito, sed a malo procédunt. De diabólicis ágitur ártibus, quae, ut a perfectióne abeátis vel saltem iter ad eam retardétis, atténdunt. Ne demittátis ánimum!

Quandóque pandat se Iesus, grátias ipsi ágite; si se abscóndit, áttamen grátias ágite: ómnia delíciae sunt amóris. Cúpio vos cum Iesu super crucem spíritum trádere et cum Iesu exclamáre: « Consummátum est! » (*Io* 19, 30).

RESPONSORIUM Eph 2, 21-22

℟. In Christo Iesu omnis aedificátio compácta crescit * in templum sanctum in Dómino.

℣. In quo et vos coaedificámini in habitáculum Dei in Spíritu. * In templum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui sanctum Pium, presbýterum, crucis Fílii tui singulári gratia partícipem esse donásti, et per eius ministérium misericórdiae tuae mirabília renovásti, concéde nobis, ut, eius intercessióne, passiónibus Christi iúgiter sociáti ad resurrectiónis glóriam felíciter perducámur. Per Dóminum.

Eodem die 28 septembris

SS. LAURENTII RUIZ ET SOCIORUM, MARTYRUM

Sæculo XVII vertente (annis 1633-1637) sedecim martyres, scilicet Laurentius Ruiz eiusque socii, Ordinis Sancti Dominici sodales vel ad ipsum consociati, diversi quidem natione, tempore et condicione, fidem christianam per Insulas Philippinas, Formosam et Insulas Iaponicas disseminarunt, pro Christi amore in urbe Nagasakiensi in Iaponia sanguinem suum fundentes semen futuræ christianitatis copiosum sparserunt.

De Communi plurimorum martyrum.

Ad Officium lectionis

Lectio altera

Ex Homilía Ioánnis Pauli papæ Secúndi in beatificatióne mártyrum.

(AAS 73, 1981, 340-342).

Cultus amorisque actum permagnum
Deo peregerunt in proprio effuso sanguine

Evangélii verbis testántibus Christus coram cælésti Patre illos fidéles mártyres vere confitétur, qui coram homínibus eum conféssi fúerint.

Hymnus glóriæ, qui nunc Deo cantátus est a vócibus innúmeris eúndem résonat hymnum « Te Deum », qui cantátus fuit véspere diéi 27 decémbris 1637 in ecclésia sancti Dominici, cum núntius pervenísset martýrii in civitáte Nagasakiénsi hábiti cuiúsdam cœtus sex christianórum, ínter quos inveniebántur Pater Antónius

González, missiónis præses, dominicánus hispánicus e loco Deón, atque Lauréntius Ruiz, paterfamilías, e Maniléusi civitáte oriúndus, e subúrbio Binóndo nuncupáto, extra civitátem. Testes hi psalmos Dómino misericórdiæ atque poténtiæ et ipsi cantavérunt, dum in custódiam tradebántur et mortem obíbant, eórum martýrio per dies tres perduránte.

Fides vincit mundum. Prædicátio fídei véluti sol omnes illúminat, qui ad veritátis cognitiónem perveníre cúpiunt. Eténim, divérsi sunt in mundo sermónes, sed una atque éadem christiána tradítio.

Dóminus Iesus in próprio sánguine servos suos vere redémit, qui ex omni tribu et língua et pópulo et natióne sunt congregáti, ut regále sint pro Deo nostro sacerdótium.

Sédecim beáti mártyres, sacerdótium exercéntes Baptísmi vel sacri Ordinis, cultus amorísque actum permágnum Deo peregérunt in próprio effúso sánguine, Christi sacrifício in ara Crucis coniúncto, Christum sacerdótem ac víctimam ita imitántes, suprémo modo qui humánis creatúris sit possíbilis. Eódem vero témpore actus fuit amóris erga fratres quam máximus, pro quibus et nos ad nosmetípsos impendéndos invitámur, exémplum sequéndo Fílii Dei, qui seípsum pro nobis pósuit.

Hoc équidem Lauréntius Ruiz adimplévit. A Spíritu Sancto ad finem inopinátum ductus post iter perículis opplétum, iudícibus conféssus est se esse christiárium et pro Deo moritúrum: « Vitam meam pro ipso mílies offérre vellem. Apóstata numquam ero. Si vultis, me interfícere potéstis. Pro Deo mori mea est volúntas ».

Hic summam vitæ eius habémus atque eius fídei manifestatiónem eiúsque mortis ratiónem. In hoc moménto iúvenis paterfamílias conféssus est et ad perfectiónem duxit catechésim christiánam, quam ac-

céperat in schola Fratrum Ordinis Sancti Domínici in Binóndo; catechésim quidem, quæ in Christo únicum centrum habet, quia Christus est eius obiéctum et ipse Christus per lábia núntii docet.

Exémplum a Lauréntio Ruiz, ex patre sínico et matre tagalénsi, datum, nobis mémorat uniuscuiúsque vitam eámque totam ad Christum esse ordinándam.

Christiánus esse id signíficat: cotídie sese offérre, Christi oblatióni in respónsum reddéndum, qui ad hoc venit in mundum, *ut* omnes *vitam hábeant et abundántius hábeant.*

RESPONSORIUM Cf. Eph 4, 4. 5

℟. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua: * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt.

℣. Unus spíritus et una fides erat in eis: * Et ídeo.

Oratio

Beatórum mártyrum tuórum Lauréntii et sociórum, quǽsumus, Dómine Deus, patiéntiam in servítio tui et próximi nobis concéde, quia in regno tuo sunt beáti, qui persecutiónem patiúntur propter iustítiam. Per Dóminum.

Die 24 novembris

SS. ANDREÆ DŪNG-LẠC, PRESBYTERI, ET SOCIORUM, MARTYRUM

Memoria

In remotis Asiæ orientalis regionibus et quidem in natione Vietnamensi, per sæcula XVII, XVIII et XIX (ab anno 1625 ad annum 1886) permulti Christi discipuli in crudeli persecutione fidei testes gloriosi exstiterunt atque pro ea vitam ponere non dubitarunt.

Inter hos sanctos martyres nominantur missionarii Ordinis sancti Dominici atque e Societate Missionum Exterarum Parisiensium necnon Vietnamenses cuiusque condicionis ac ætatis, qui Evangelii nuntium sanguine suo generose fecundarunt.

De Communi plurimorum martyrum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E litteris sancti Pauli Le-Bao-Tinh alúmnis Seminárii Ke-Vinh anno 1843 expedítis.

(A. Launay, Le clergé tonkinois et ses prêtres martyrs, MEP, Paris 1925, pp. 80-83)

Participatio martyrum in victoria Christi capitis

Ego, Paulus, pro nómine Christi vinctus, tribulatiónes meas vobis reférre volo quibus cotídie immérsus sum, ita ut, amóre erga Deum accénsi laudes mecum Deo præbeátis, *quóniam in ætérnum misericórdia eius.* Hic carcer vere imágo est inférni ætérni: ad supplícia crudélia omnis géneris, ut sunt cómpedes,

caténæ férreæ et víncula, addúntur ódium, vindíctæ, calúmniæ, verba indecéntia, quærélæ, actus mali, iuraménta iniústa, maledictiónes et tandem angústiæ et tristitia. Deus autem qui olim liberávit tres púeros de camíno ignis, mihi semper adest meque ab istis tribulatiónibus liberávit et eas in dulcédinem convértit, *quóniam in ætérnum misericórdia eius.*

In médio autem horum tormentórum, quæ álios contérrere solent, grátia Dei, gáudio replétus sum et lætítia, quia non solus sed cum Christo sum.

Ipse magíster noster totum pondus crucis sústinet, mihi mínimam tantum et última partem impónens. Certáminis mei non solum spectátor, sed ipse est bellátor et victor totiúsque agónis consummátor. Proptérea super caput eius pósita est coróna victóriæ, cuius glóriam partícipant étiam eius membra.

Quómodo autem sustíneam spectáculum istud, videns cotídie imperatóres, mandarínos eorúmque satéllites blasphemántes nomen sanctum tuum, Dómine, *qui sedes super Chérubim* et Séraphim? Ecce, crux tua a pédibus paganórum conculcáta est! Ubi est glória tua? Videns hæc ómnia, malo, amóre tui succénsus, abscíssis membris, mori in testimónium amóris tui.

Osténde, Dómine, poténtiam tuam, salva me et sústine me, ut virtus in infirmitáte mea ostendátur et glorificétur coram géntibus, ne, cum vacíllem forte in via, inimíci tui in supérbia sua caput possint eleváre.

Fratres caríssimi, audiéntes hæc ómnia, grátias agátis immortáles in lætítia Deo, a quo bona cuncta procédunt, benedícite Dómino mecum, *quóniam in ætérnum misericórdia eius! Magníficet ánima mea Dóminum et exsúltet spíritus meus in Deo meo, quóniam respéxit humilitátem* fámuli sui et ex hoc beátum me dicent omnes generatiónes futúræ: *quóniam in ætérnum misericórdia eius.*

Laudáte Dóminum omnes gentes, collaudáte eum omnes pópuli, quóniam quæ *infírma sunt mundi, elégit Deus ut confúndat fórtia et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus* ut nobília confúndat. Per os meum atque intelléctum meum confúdit philósophos qui discípuli sunt sapiéntum huius mundi, *quóniam in ætérnum misericórdia eius.*

Scribo vobis hæc ómnia, ut uniántur fides vestra et mea. In médio huius tempestátis áncoram iácio usque ad thronum Dei; spem vivam, quæ est in corde meo.

Vos autem, fratres caríssimi, *sic cúrrite ut corónam comprehendátis,* indúite *lorícam fídei et arma* Christi súmite *a dextris et a sinístris,* sicut dócuit sanctus Paulus, patrónus meus. *Bonum vobis est, unóculos vel débiles in vitam intráre,* quam ómnia membra habéntes foris mitti.

Succúrrite mihi précibus vestris, ut secúndum legem certáre, et quidem *bonum certámen certáre* et usque in finem certáre váleam, cursum meum felíciter consummatúrus; si in hac vita non iam nos vidébimus, in futúro tamen sǽculo hæc felícitas nostra erit, quando astántes ad thronum Agni immaculáti, unánimes laudes eius cantábimus exsultántes in gáudio victóriæ in perpétuum. Amen.

RESPONSORIUM Cf. Hebr 12, 1c-2a. 3

℟. Per patiéntiam currámus propósitum nobis certámen. * Aspiciéntes in ducem fídei et consummatórem Iesum.

℣. Recogitáte eum qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini ánimis vestris deficiéntes. * Aspiciéntes.

Oratio

Deus, omnis paternitátis fons et orígo, qui beátos mártyres Andréam et sócios eius Cruci Fílii tui usque ad sánguinis effusiónem fidéles effecísti, eórum intercessióne concéde, ut amórem tuum inter fratres propagántes fílii tui nominári et esse valeámus. Per Dóminum.

Die 25 novembris

S. CATHARINÆ ALEXANDRINÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS

Virginem fuisse Alexandrinam et martyrem narratur, ingenii acumine et sapientia non minus quam animi robore refertam. Eius corpus in celebri cœnobio in monte Sinaï pia colitur veneratione.

De Communi unius martyris, vel virginum, praeter sequentia:

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

Ex Sermónibus sancti Caesárii Arelaténsis epíscopi

(*Sermo* 159, 1.3-6: CCL 104, 650.652-654)

Quomodo Christum sequi?

Durum vidétur, fratres caríssimi, et quasi grave esse iudicátur illud, quod Dóminus in Evangélio imperávit, dicens: «Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum sibi». Sed non est durum, quod ille ímperat, qui ádiuvat ut fiat quod ímperat.

Abnéget se et tollat crucem suam et sequátur Christum. Et quo sequéndus est Christus, nisi quo ábiit? Nóvimus enim, quia surréxit, ascéndit in caelum: illo sequéndus est. Plane desperándum non est, quia ipse promísit, non quia homo áliquid potest. Longe a nobis erat caelum, ante quam caput nostrum iísset in caelum. Iam quare desperámus nos ibi futúros, si membra illíus cápitis simus? Ergo unde? Quia multis timóribus et dolóribus laborátur in terra: sequámur Christum, ubi summa est felícitas, summa pax, perpétua secúritas.

Sed qui Christum sequi desíderat, áudiat apóstolum dicéntem: «Si quis dicit se in Christo manére, debet quómodo ille ambulávit et ipse ambuláre». Sequi vis Christum? Esto húmilis, ubi ille húmilis fuit: noli humilitátem eius contémnere, si vis ad illíus altitúdinem perveníre.

Aspera quidem facta est via, quando homo peccávit; sed plana est, quando eam Christus resurgéndo calcávit, et de angustíssima sémita stratam regálem fecit. Per istam viam duóbus pédibus cúrritur, id est, humilitátis et caritátis. In hoc omnes deléctat celsitúdo: sed humílitas primus gradus est. Quid tendis pedem ultra te? Cádere vis, non ascéndere. A primo gradu, id est, ab humilitáte íncipe, et ascendísti.

Et ídeo Dóminus et Salvátor noster non solum dixit ábneget seípsum sibi, sed áddidit: tollat crucem suam, et sequátur me. Quid est, tollat crucem suam? Ferat quicquid moléstum est: sic me sequátur. Cum coéperit me móribus et praecéptis meis sequi, multos habébit contradictóres, multos habébit prohibitóres, multos habébit non solum derisóres, sed etiam persecutóres. Et hoc non solum de pagánis, qui extra ecclésiam sunt, sed etiam ex illis, qui intus vidéntur esse córpore, sed foris sunt óperum pravitáte, et, cum de solo nómine christiáno gloriéntur, bonos tamen christiános iúgiter persequúntur. Isti tales sic sunt in membris ecclésiae, quómodo mali humóres in córpore. Tu ergo si Christum sequi desíderas, crucem eius portáre non dífferas: tólera malos, noli subcúmbere.

Unde, si vólumus implére illud, quod Dóminus dixit, si quis vult post me veníre, tollat crucem suam et sequátur me, quod ait apóstolus cum Dei adiutório studeámus implére: ut habéntes victum et vestítum, his conténti simus; ne forte, si plus quam opórtet terrénam substántiam quaeréntes vólumus dívites fieri, inci-

dámus in temptatiónem et láqueum diáboli, et desidéria multa et inutília et nocíva, quae mergunt hómines in intéritum et perditiónem. De qua temptatióne Dóminus nos sub sua protectióne liberáre dignétur.

RESPONSORIUM Cf. Ps 45, 15b-16a. 5a

℟. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximae eius. * Afferéntur tibi in laetítia et exsultatióne.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. * Afferéntur tibi.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui pópulo tuo beátam Catharínam vírginem et invíctam mártyrem praestitísti, concede, ut, eius intercessióne, fide et constántia roborémur et pro Ecclésiae unitáte óperam tribuámus impénse. Per Dóminum.

Die 9 decembris

S. IOANNIS DIDACI CUAUHTLATOATZIN

Ex Indorum nativorum stirpe in territorio nunc Mexici circa annum 1474 natus est. Ei Dei Genitrix in colle Tepeyac apud Mexicopolim se manifestavit, ac proinde ipse, vir fide purissima praeditus, humilitate et fervore suo effecit, ut illic in honorem Beatae Mariae Virginis de Guadalupe ecclesiam aedificaretur, ubi anno 1548 in Domino quievit.

De Communi sanctorum virorum.

Ad Officium lectionis

LECTIO ALTERA

E lítteris decretálibus Papae Ioánnis Pauli Secúndi

(Mexicopoli, die 31 iulii 2002 datis)

«Exaltávit húmiles» (*Lc* 1, 52): Dei Patris contúitus ad húmilem indígenam Mexicánum se convértit, nempe Ioánnem Dídacum, quem dono ditávit in Christo renascéndi, beátae Maríae Vírginis vultum contemplándi et sociátam praestándi óperam pro Americánae Continéntis evangelizatióne. Ex quo apérte erúitur quam vera sint verba, quibus Apóstolus Paulus divínam edócet méthodum salútem peragéndi.

«Ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, quae non sunt, ut ea, quae sunt, destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei» (*1 Cor* 1, 28-29). Hic beátus, cui tráditum nomen est Cuauhtlatoatzin, quod «áquila loquens» sibi vult, anno círciter 1474 in loco *Cuauhtitlan* natus est, apud regnum vulgo Texcoco. Adúltus cum sit et matrimónio iunctus, ampléxus est Evangélium et una cum uxóre baptismáli aqua est

ablútus, sibi propónens vívere sub lúmine fídei et secúndum obligatiónes coram Deo et Ecclésia assúmptas.

Mense Decémbri anno 1531, cum iter fáceret ad locum Tlatelolco, in colle, qui Tepeyac appellátur, apparéntem sibi vidit veram Dei Matrem, quae mandávit illi, ut ab epíscopo Mexicáno péteret templum in loco apparitiónis aedificári. Sacer Praesul, atténtis indígenae instántiis, evidéntem miri evéntus probatiónem ab illo requisívit. Die 12 mensis Decémbris beatíssima Virgo María Ioánni Dídaco conspiciéndam rursus se dedit, eum solámine affécit et iussit, ut in fastígium collis Tepeyac se conférret, ibi flores collígeret et reférret. Licet hiemále frigus et aríditas loci obversaréntur, beátus pulchérrimos répperit flores, quos in paénula pósuit Virginíque tulit. Haec autem praescrípsit illi, ut eos tamquam veritátis indícium Epíscopo tráderet. Stans coram illo, Ioánnes Dídacus paénulam apéruit florésque cádere sivit; tunc in textúra paénulae appáruit, mirabíliter impréssa, imágo Vírginis Guadalupénsis, quae ab illo inde témpore facta est spiritále natiónis centrum.

Constrúcto templo in «Dóminae caelórum» honórem, beátus, summa compúlsus pietáte, ómnia relíquit et vitam impéndit in parvum illud sacéllum custodiéndum et peregrínos excipiéndos. Sanctitátis viam in oratióne et in caritáte percúrrit, vim háuriens ex eucharístico Redemptóris nostri convívio, ex cultu in Matrem Redemptóris, ex communióne cum Sancta Ecclésia necnon ex oboediéntia sacris Pastóribus. Omnes qui novérunt eum splendórem virtútum, praesértim fídei, spei, caritátis, humilitátis et contémptus rerum terrenárum sunt miráti.

Ioánnes Dídacus in simplicitáte cotidiánae vitae fidéliter servávit Evangélium, quin respúeret suam

indígenam condiciónem, prorsus cónscius Deum díscrimen stírpium vel cultúrae praetermíttere et omnes invitáre, ut fílii sui efficiántur. Hoc modo beátus faciliórem réddidit viam, qua indígenae gentes Mexicánae et Novi Orbis congressiónem cum Christo suscíperent et cum Ecclésia. Usque ad suprémum vitae diem cum Deo ambulávit, qui anno 1548 ad se vocávit eum. Eius recordátio, quae ad apparitiónem Dóminae Nostrae a Guadalúpe semper refértur, saécula transcéndit diversásque orbis regiónes áttigit.

RESPONSORIUM Cf. 1 Cor 1, 27-29; Lc 1, 51.52

℟. Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; quae non sunt, * ut non gloriétur omnis caro in conspéctu Dei.

℣. Fecit poténtiam in bráchio suo et exaltávit húmiles; * ut non gloriétur.

Oratio

Deus, qui per beátum Ioánnem Dídacum, sanctíssimae Vírginis Maríae dilectiónem erga pópulum tuum ostendísti: eius nobis intercessióne concéde, ut, Matris nostrae mónitis Guadalúpae datis obsequéntes, voluntátem tuam iúgiter adimplére valeámus. Per Dóminum.

Die 12 decembris

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS DE GUADALUPE

Anno 1531 Virgo Maria se manifestavit Ioanni Didaco Cuauhtlatoatzin, ex Indorum nativorum stirpe, in colle Tepeyac apud Mexicopolim in territorio nunc Mexici, et in paenula eius mirabiliter imago permansit, quam illic christifideles adhuc iugiter venerantur. Per hunc virum, fide purissima praeditum, Dei Genitrix et Ecclesiae Mater ad amorem Christi omnes vocat populos.

De Communi B. Mariae Virginis.

Ad Officium lectionis

Lectio altera

Ex trádita relatióne, quae «Nican Mopohua» nuncupátur

(saec. XVI, ex archivo Archidioecesis Mexicopolitanae)

Anno 1531, post dies áliquot mensis decémbris, cum esset quidam indus pauper et affábilis, cui nomen Ioánnes Dídacus, ut fertur, ex Cuauhtitlan, cuius cura, quoad spirituálem administratiónem, ad religiósos in Tlatilolco residéntes pertinébat, die sábbato, valde mane, Tlatilolco rem divínam ille adíbat. Ut autem ad collem Tepeyac dictum advénit, iam illucescébat. Cantum ergo supra collem audívit. Ut vero cantus cessávit, nec iam fuit ámplius áditus, vocátum se audívit e superióre parte collis: «Dilécte, Ioánnes Dídace», dictum est ei. Statim illuc ausus est ascéndere, unde se vocári cognóvit.

Ut autem supra collem advénit, dóminam vidit stantem, quae illum, ut ipse adíret, vocávit. Cum ante

illam pervénit, valde mirátus est quantum esset décora: vestis eius sicut sol effulgébat. Illico voluntátem suam illi Virgo declarávit. Ait illi: « Scito, dilectíssime fili, Sanctam Maríam me esse, perféctam semper Vírginem, Matrem veríssimi Dei, vitae Auctóris, qui ómnia creávit et sústinet, Dómini caeli et terrae. Magnópere volo, ardénter desídero, ut isto in loco templum meum aedificétur, ubi eum osténdam, eum manitéstans laudábo, meum amórem ac pietátem, auxílium et defensiónem impértiam, quóniam revéra ego clemens Mater vestra sum, et tua et ómnium qui hac in terra in unum consistétis et aliórum quorumcúmque qui díligunt me, qui me quaerunt, qui devóte et confidénter me invocáverint. Ibi lácrimas ac moestítiam eórum exáudiam, in angústiis benefáciam et in omni tribulatióne remédium ásferam. Ut autem meum desidérium adimpleátur, Mexicópolim adi in palátium epíscopi. Te a me missum dices illi, ut ipsum scire fácias quómodo mihi domum hic volo aedificári, templum hic in valle mihi érigi ».

Ut pervénit intra civitátem, statim domum adívit epíscopi, cui nomen Ioánnes de Zumarrága, Ordinis Sancti Francísci. Ut autem antístes Ioánnem Dídacum audívit, quasi non omníno credens, illis respóndit: « Fili, íterum vénies et adhuc áudiam te. Ego autem mihi cogitábo quid fácere opórteat de tua voluntáte et desidério ».

Altera die, vidit ergo Regínam de colle descendéntem unde ipsum aspiciébat. Quae venit óbviam illi prope collem, eum detínuit dixítque: « Audi, dilécte fili: Nullátenus tímeas neque corde dóleas, nec áliquid fácias tui avúnculi infirmitátem aut quámlibet angústiam. Numquid hic non adsum ego Mater tua? Numquid non sub umbra et protectióne mea tu es constitútus? Numquid ego non sum fons tua vitae et felicitátis? Numquid tu

non in meo grémio, in bráchiis meis subsístis? Numquid áliud quodcúmque tibi necésse est? Nihil dóleas, nec turbéris. Ascénde, inquit, dilécte fili, supra collem atque in eo loco, ubi me vidísti et tibi locúta sum, flores ibi divérsas vidébis. Accipe et cóllige illas atque inde descéndens affer illas coram me».

Descéndit ergo Ioánnes atque Caeli Regínae détulit, quas collégerat flores. Illa autem, ut eos vidit, suis venerabílibus mánibus illos accépit rursúmque in Ioánnis pallíolo collocávit dixítque illi: «Fili dilectíssime, hi flores signum, quod déferes ad epíscopum, sunt. Eh, tu meus núntius es, cuius fidelitáti haec commítto. Te rigoróse praecípio: cáveas ne pallíolum tuum, nisi coram epíscopo, éxplices et, quae defers, illi osténdas. Narrábis quoque quómodo, ut collem ascénderes et inde flores accípere, tibi praecépi et quidquid vidísti et admirátus es, ut credat et agat de templo erigéndo quod volo».

Ut ergo haec praecépit Caeli Regína, iter arrípuit Mexicópolim versus. Laetus ibat, quia ómnia próspere fient. Ingréssus autem Ioánnes, coram epíscopo se prostrávit atque illi narrávit quaecúmque víderat et ad quid ad ipsum missus erat. Dixit illi: «Dómine, mihi quae praecepísti adimplévi. Dictúrus adívi Dóminam meam, Caeli Regínam, Sanctam Maríam Dei Genitrícem, te signum pétere ad mihi credéndum atque ut templum ibi éxstruas ubi ipsa Virgo desíderat. Dixi ergo illi me signum áliquod eius voluntátis ad te afférre promisísse. Audívit ergo quae tu expéteres: benígne tulit te signum pétere ad impléndam voluntátem eius atque hódie, valde mane, me rursus ad te veníre praecépit».

Occúrrit ergo univérsa cívitas: venerábilem imáginem vidébant, mirabántur, ut opus divínum eam mirábant, deprecabántur. Et die ella dixit avúnculus

Ioánnis Dídaci necnon quae sit Vírginis advocátio et quod eius imágo nuncupétur Sanctae Maríae semper Vírginis de Guadalúpe.

RESPONSORIUM Cf. Ap 12, 1

℟. Signum magnum appáruit in caelo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius; * Et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

℣. Gaudent ángeli, exsúltent archángeli in Vírgine Mária. * Et in cápite.

Oratio

Deus, Pater misericordiárum, qui sub sanctíssimae Matris Fílii tui singulári patrocínio plebem tuam constituísti, tríbue cunctis, qui beátam Vírginem Guadalupénsem ínvocant, ut, alacrióri fide, populórum progressiónem in viis iustítiae quáereant et pacis. Per Dóminum.

INDEX CELEBRATIONUM

Sanctissimum Nomen Iesu, 3 ianuarii 3

S. Iosephina Bakhita, virgo, 8 februarii 6

S. Adalbertus, episcopus et martyr, 23 aprilis . 9

S. Ludovicus Maria Grignion de Montfort, presbyter, 28 aprilis 12

Beata Maria Virgo de Fatima, 13 maii 15

SS. Christophorus Magallanes, presbyter, et socii, martyres, 21 maii 18

S. Rita de Cascia, religiosa, 22 maii 21

S. Augustinus Zhao Rong, presbyter, et socii, martyres, 9 iulii 23

S. Apollinaris, episcopus et martyr, 20 iulii . . 26

S. Sarbelius Makhlūf, presbyter, 24 iulii . . . 29

S. Petrus Iulianus Eymard, presbyter, 2 augusti . 33

S. Teresia Benedicta a Cruce, virgo et martyr, 9 augusti 36

S. Maximilianus Maria Kolbe, 14 augusti . . . 39

S. Petrus Claver, presbyter, 9 septembris . . . 43

Sanctissimum Nomen Mariae, 12 septembris . . 46

S. Pius de Pietrelcina, presbyter, 23 septembris . 48

SS. Laurentius Ruiz et socii, martyres, 28 septembris 51

SS. Andreas Dūng-Lạc, presbyter, et socii, martyres, 24 novembris 54

S. Catharina Alexandrina, virgo et martyr, 25 novembris 58

S. Ioannis Didaci Cuauhtlatoatzin, 9 decembris . 61

Beatæ Mariæ Virginis de Guadalupe, 12 decembris 64

TYPIS VATICANIS

€ 5,50

ISBN 88-209-7699-4

9 788820 976996